DISPUTATIO
INAUGURALIS
DE
IMPULSU, QUO ANIMI MOTUS CORPUS AFFICIUNT.

DISPUTATIO
INAUGURALIS
DE
IMPULSU, QUO ANIMI MOTUS CORPUS AFFICIUNT;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS BROWN,

SCOTUS.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1811.

VIRO EXIMIO,

JACOBO HOME, M. D.

MATERIÆ MEDICÆ, ETC.

IN HAC ACADEMIA

PROFESSORI;

NON MINUS

INGENIO ET DISCIPLINIS

QUAM VIRTUTIBUS

INSIGNI;

HANC DISPUTATIONEM,

QUA PAR EST, OBSERVANTIA,

D. D. C.QUE

AUCTOR.

NECNON,

VIRO SPECTATISSIMO,

ALEXANDRO MONRO, M. D,

ANATOMES ET REI CHIRURGICÆ

IN HAC ACADEMIA

PROFESSORI;

PROPTER SUMMAM COMITATEM

IN SE COLLATAM;

HOC OPUSCULUM

SACRAT

AUCTOR.

DISPUTATIO

INAUGURALIS

DE

IMPULSU, QUO ANIMI MOTUS CORPUS AFFICIUNT.

Auctore GULIELMO BROWN.

PRÆFANDA.

ANIMUM et corpus nexu intimo a Divino Artifice invicem exquisite sociata esse, adeo ut alter alteri opem aut perniciem ferat, et alter alterius bonorum aut malorum, æterno quasi circulo, particeps fiat, res est notissima. Quæ, uti omnium sensibus lucidissime patet, ita, qua ratione mens corpori jungatur, et quo-

modo

modo illa hoc, aut hoc illam impellat, juvet aut lædat, hucusque prorsus ignoramus; nec sane ingenium humanum tam difficilem quæstionem unquam esse expediturum, sperare licet. Hanc altius agitare prorsus inutile perspicientes, rem ipsam potius medicos prosequi oportebit, et inde quædam utilia haurire, tum ad morbos præcavendos aut fugandos, tum etiam ad secundam valetudinem tuendam.

Quoties vero mens et corpus sibi invicem noceant, fusius perscribere longum esset; quippe cujus rei tot exempla quotidie prodeunt. Si quis nimirum febricitat, aut aliunde dolore et ægritudine cruciatur, hic fere delirat: nec raro dolor capitis animi dotes mirum in modum labefacit et turbat. In quantum contra mens concitata corpus perturbat? Ira permoto vultus rubet, ejusdem arteriæ validius moventur, venæ ultra modum turgent,

oculi

oculi ardent quasi ignei; imo singula corporis munera turbantur et incitantur: neque non ipsam vitæ flammam ira vehementior extinxit.

Quoniam tantum argumentum plenius tractare et absolvere, longe angustos limites, quibus contineor, superaret, non nisi de vi, qua mens affecta corpori nocet, disputare in animo est. Nihil omnino sane majoris refert medicorum novisse, quam qualibus et quantis malis animus affectus corpus implicare solet. Facilius aut ægrius mens agitatur; et agitata, levius aut vehementius, hoc illove modo, corpori nocet; aliter alias, prout varient ætates, sexus, aliæque corporum proprietates, et prout antea valetudine bona aut mala homo usus erat.

Permulti sunt morbi, quos animi motus vix aut ne vix arcessere valent; nec vero pauci existunt, qui iisdem potissimum, imo

fere

fere non aliunde, nascuntur. Exemplo sint, quos illustris CULLENUS isti classi *Neuroses* subjecit; ex his enim longe plurimos accendere aut intendere potest mens perturbata; quos ipsos tamen fere non nisi ars medica initio et summa peritia adhibita devincit. Quidam sane ex his non minus corpore quam animo læso insigniuntur, nec, nisi hoc summa solertia curato, sanitate mutantur. Hujusmodi sunt *hypochondriasis* et *mania*. Nec tamen *Neuroses* solum, sed etiam quædam ex malis cuti propriis, *nostalgia*, &c., mente se male habente inferuntur. Quinetiam, ad hos ipsos morbos leniendos aut tollendos, animi motus idonei concitati, et nocituri sedati, non parum operæ conferunt, imo plurimum auxiliantur. Hos igitur summovere, et illos accendere, prudentis est medici.

Hisce absolutis, de singulis animi motibus, quam brevissime potero, disserendum.

DE GAUDIO.

Hoc modicum cor et arterias leniter et salutariter incitat, et efficit ut hæ ubique corporis citius et validius moveantur; maximeque in capite. Facit ut omnia secernenda et excernenda plenius secernantur et excernantur. Hinc cuivis gaudio permoto, lachrymæ profluere, et oculi nitere, solent.

Hic animi motus plane nociturus est, si quis aliquo adversæ valetudinis genere ægrotat, cui arteriæ, potissimum in capite, concitantur. Hujusmodi sunt febres ardentes,

tes, inflammatio cerebri, oculorum, &c. *erysipelas.*

Si quos fere confecerint febres longæ, his gaudium opem pollicetur, et uti convalescant, admodum efficere potest. Hinc infantes, qui febricitarunt, morbo jam inclinato, eo citius salutem recipiunt, si animi jocis et ludis solitis apud collusores reficiantur.

Hypochondriasi et *melancholia* tortos mirum in modum hilari esse animo juvat; hac vero laborantibus vix alio auxilio succurritur, nisi accedant alia adversæ valetudinis genera. Summi enim interest mentem quam maxime a suis ærumnis contemplandis abstrahere, et in hunc finem jucundo sermone, conviviis, et jocis oblectare.

Gaudium intentius cor et cerebrum ultra modum concitare solet. Hoc docent vul-

tus

tus rubescens, turgens, venæ tumidæ, imo interdum lachrymæ profusæ. Eousque excitatum, nunquam proficit, imo pessimæ fit noxæ; eoque magis, si antea capitis arteriæ incitarentur et vehementius micarent: quando, Jovis fulmine citius, *apoplexiam* intulit, imo necem adscivit. Porro, hic animi motus vehementior multos *syncope* et *epilepsia* implicuit, et implicitos necuit. Huc etiam pertinent *hysteria*, et alia mala.

Spasmi omnes vitalium functionum instrumentis incumbentes, ut *dyspnœa*, *asthma*, *pertussis*, *palpitatio*, undecunque enascantur, inflammationes eorundem, quicunque denique morbi sanguinis motu velociore cientur aut ingravescunt, gaudio immodico in pejus vertuntur.

Non raro insaniunt, quibus animi gaudio subito in sublime feruntur. Et valetudina-

ria

ria insanis recipiendis accommodata longe plures hinc quam aliunde correptos habere consuerunt.

AMOR.

Hic vero, si quis amata pulchra fruitur, animum et corpus admodum fovet et reficit. Cor arteriasque leniter stimulat, et nervorum facultates mentisque dotes divinas acuit: Nullis musæ potius adesse volunt, quam hoc, dulci animi affectu animatis. Quis vero Ovidio, quis Tibullo, quis Petrarcho, Veneris cultoribus, suavius amores cecinit?

Qui autem sine spe aut desiderio expleto amant, his genus nervosum, cor et arteriæ languent; soli et tristes gemunt et suspirant.

Suspiriis

Suspiriis ex imo pectore ductis, aër justo diutius in animæ fistulis moratur, et sanguine inde minus solito salutariter mutato, cor palpitat.

Non raro infelix marcet et languet; exiliter et celeriter arteriæ micant: noctu cutis sudore diffluit; et vita ipsa in præcipiti versatur. Interdum homo severus, atrox, tristis de se desperat, et tandem fatuatur, insanit, vel ad infandum facinus impellitur. Qua de re quam bene cecinet poëta;

Bitter indeed; for sad experience shows,
That love repuls'd exceeds all other woes.
From his sad brow the wonted cheer is fled,
Low on his breast declines his drooping head!
Nor can he find while grief each sense o'erbears,
Voice for his plaints or moisture for his tears.
Impatient sorrow seeks its way to force,
But with too eager haste retards its course.

Each

Each thought augments his wound deep-rankling smart,
And sudden coldness freezes round his heart ;
While, miserable fate ! the god-like light
Of reason sinks eclips'd in endless night.

Ærumnæ graves, quas ille crudelis amor facessit, non nisi quovis alio jucundo animi motu concitato vincuntur. Amator igitur infelix suavi amicorum societate hilaretur; quem in finem amicæ præstant, cum quibus versetur. Ita mens a sese abstrahetur, imo forsan novæ *Lauræ* amore exardebit.

PATRIÆ

PATRIÆ AMOR.

Hoc nemo mortalium caret, ubicunque terrarum habitet, sive pigris in campis, ubi arbor nulla æstiva recreatur aura, sive sub curru solis nimium propinqui: sive Caucasum incolat inhospitalem, sive loca, quibus Ceres optima dona attulerit.

For where to find the happiest spot below,
Who can direct when all pretend to know?
The shudd'ring tenant of the frigid zone
Boldly proclaims that happiest spot his own;
Extols the treasures of his stormy seas,
And his long nights of revelry and ease;
The naked negro, panting at the Line,
Boasts of his golden sands and palmy wine,
Basks in the glare, or stems the tepid wave,
And thanks his gods for all the good they gave.

At

At vero maxime Helvetii, et omnes monticolæ, patriæ amore ardent. Si cupidini patriæ revisendæ indulgeri potest, motus sanguinis per omnes ejus fistulas celeratur, et intenditur vis nervorum. Quod si non domum est redeundum, nec amœna loca revisendum, ubi infantiam egimus, cor et cerebrum nervique hebetantur : corpus languescit, arteriarum motus exiles et incitatiores fiunt, noctu sudamus, imo interdum lenta febre *hectica* tabescimus. Hanc valetudinem *nostalgiam* Sauvagesius nominavit. Hamiltonus, Ipsvici medicinam faciens, exemplum hujus morbi perinsigne literis mandavit. Miles quidam Cambro-Britannus, paulo postquam cohors Ipsvicum venerat, animo et corpore languere cœpit. Ad valetudinarium advecto ei vires plurimum labefactæ sunt ; arteriæ micabant celerius et exilius ; tandem eo ipsa febre *hectica* marcescere cœpit, ut ei cubandum esset. Medicus ille solers, cito mali radice

dice perspecta, ea tamen auxilia expertus est, quæ morbo tollendo maxime accommodata viderentur. Tandem, medicina nihil fere valente, Præfectum militarem exoravit, ut infelici viro domum redire, ibique sex hebdomadas commorari, liceat. Spes ipsa montes suos dilectos revisendi, paulo post valetudinem confirmavit.

Apud Helvetios, qui maxime hunc morbum patiuntur, musice patria miros edit effectus; adeo ut lachrymas amaras effuderint fortes illi viri, hoc dulci concentu audito; imo se cum hoste congressuros esse negabant, nisi post prœlium domum sibi redire liceat.

SPES ET FIDUCIA.

Spes motum sanguinis expedit, et secernenda omnia secerni facit. Non sane graves istos effectus molitur, qui ex aliis animi motibus proficiscuntur; nec tamen ullus fere in tantum medico auxiliatur. Nihil sane majoris interest, quocunque fere malo aliquis ægrotet, quam efficere ut non de sua salute desperet, imo ut spe certa foveatur: quæ, ut sæpe utilissima erit, ita nunquam fere oberit. Dum animi febricitantium spe refocillantur, omnia in melius vertuntur: sed in præcipiti versatur, qui de suis rebus desperare incipit. Qui confidit medicamenta sibi præcepta esse adjutura, nec medici fidem et peritiam in dubio habet,

bet, illa utcunque ingrata, non dubitabit assumere; quæ aliter respueret. Si ægro persuadetur medicum suum solertia præpollere; quam facile, quam nullis fere remediis sanabitur? quam valida autem nihil juvabunt, si æger fidem abnueret?

Quinetiam, hic animi motus concitatus mirum in modum corpus ab omnigena fere pestilentia defendit. Quorum est igitur febrientibus ministrare, hi raro, halitu putri volitante accepto, corripiuntur. Hinc incantamenta, vel medicamina nulla fere virtute prædita, animos erigendo et fiduciam incutiendo, non raro pessimas febres, imo ipsam pestem, prævertunt.

TIMOR.

Hic animi affectus corpus admodum exagitat, cordis et arteriarum motum sedat, et secernenda reprimit. Efficit ut summa cutis, et præcipue vultus, palleat et frigeat ; ut motus, qui animi arbitrio concitari solent, langueant, aut quiescant, adeo ut non solum alicui timore percusso se movendi pereat facultas, sed etiam loquendi. Neque non motus ii, quos animus non regit, interdum imminuuntur : hinc animæ defectio non raro timore enascitur; scilicet, motus cordis aut multum languescit, aut aliquamdiu cessat, arteriis simul non digito subsilire perceptis. Ali-

quando

quando etiam homo languide et creberrime, aut tarde et graviter spirat. Omnes fibræ motrices resolvuntur; præsertim *sphincteres*, humoribus citra voluntatem excretis.

Hic animi affectus medico auxilio sæpe præsentissimo fit; mira facultate *spasmi* resolvendi pollet. Hinc vulgus eodem minus excitato uti consuevit, si qua hysteria convellitur. Hinc, quæ laboribus se dedunt, nullis adstantibus ministris, rarius velluntur, quam quæ mobilioris et delicatioris indolis in valetudinaria recipiuntur, et ministrantibus gaudent. Ad timorem fortasse bene refertur, quod medicamina sapore ingrato sæpe melius ad motus artuum abnormes consopiendos valent, quam alia minus injucunda.

Epilepsiam, quam Latini *morbum comitialem* nominarunt, timor aliquando distulit, imo penitus sanavit. Cujus rei vir ille præcla-

rus BOOERHAAVIUS exemplum luculentum tradidit memoriæ; quod subjeci *.

---

* " In domo, qua pauperes ex eleemosynis pu-
" blice aluntur, in civitate Harlamensi, perter-
" rita puella incidit in morbum nervorum con-
" vulsivum, certis paroxysmis reducem; adstantium
" et adjuvantium in eam intenta itidem corripitur
" eodem morbo; postridie altera, deinde tertia, quar-
" ta, imo fere omnes, tam pueri, quam puellæ: Sta-
" tus miserrimus, corripitur hic, corripitur illa, imo
" fere omnes eodem tempore, dum unum alter as-
" picit, prosternuntur. Medici solertes frustra ad-
" hibent, qua dictat ars, saluberrima anti-epileptica
" medicamina. Confugitur tandem ad BOOERHAA-
" VIUM, qui, misertus infelicis pauperum sortis, petiit
" Harlemum, et dum rem examinat, invadente
" unum paroxysmo, videt convelli plures specie epi-
" lepsiæ. Datis incassum optimis remediis a medi-
" cis sapientibus, et ad imaginationem ex uno in
" alterum traducto morbo, rite perpensis, hanc
" avertando credidit posse curam obtineri, et ob-
" tinuit. Scilicet, præmonitis epiphoris, præsentibus
" omnibus, jussit per cameram disponi fornaces por-
" tatiles, prunis ardentibus instructas; atque iis im-
" poni

Timor excitatus interdum accessionem febris intermittentis præcavit. Araneas enim et similia horrida devorare, non nisi terrendo tantum effectum moliri potest. Hic non alienum est memorare eam timoris facultatem insignem, qua dolores mulierum jam parturarum, faciendo, ut valida uteri actio quiescat, sæpe sustulit. Maxime igitur oportet, ut omnia, quæ terreant, gravidis subducantur.

Etiamsi

"poni ferreos ramulos, ad certam figuram adaptos; "tum ita mandavit; quia omnia frustra forent, sese "aliud nescire remedium, quam, ut qui primus "foret vel puella, infausti morbi paroxysmo cor-"riperetur, locus quidam nudati brachii candente "ferro ad os usque inureretur, atque gravitate pol-"lebat dicendi perterriti omnes ad crudele reme-"dium, dum instare sentiunt paroxysmum, omni "mentis intentione et metu dolorificæ inustionis, "eidem resistunt fortioris oblatione ideæ"—Kaaw Booerhaave, *impetum facien*, p, 356.

Etiamsi vero, omnibus jam prospere se habentibus, timor accensus sæpe noceat, aliquando tamen hic idem proderit; nimirum, si infans ita in utero jaceat, ut non, nisi situ mutato, in lucem ederetur; et si dolores et uteri actio tanti sint, ut parum absit, quin hic dirumpatur. Rebus ita se habentibus, ægram terrendo, dolores extemplo quiescunt.

Profusio sanguinis ex utero, fœmina perterrita, subito cessabit; scilicet, corde arteriisque inde sedatis.

At longe plures morbi timore intenduntur, quam leniuntur aut summoventur: quo nihil corpus proclivius ad omnes morbos pestilentes recipiendos facit. Non desunt exempla, quibus timor *syncopen* pessimam, in fatum desituram, intulit. Hæc animi perturbatio maxime apud *hypochondriacos* enitet, per quam potissimum hi a *dyspepsia* laborantibus discrepant.

pant. Sæpe timor ut cor palpitet efficit; imo interdum subito incussus hysteriam cievit; quam tamen longe sæpius sustulit: id quod supra fuit comprehensum.

TERROR.

In hoc animi motu cor, et arteriæ concitantur, et genus nervosum incitatur; eo ut perterriti viribus fere plus quam humanis præditi sint. Hic vero provida omnium natura maxime elucet: quoties scilicet periculum grave imminet, vi insolita donamur, qua idem aut perferre aut evitare possemus.

Nescio an unquam terrore medici utantur, ad morbos levandos aut fugandos; constat tamen eundem nequaquam minimi esse existimandum. Quoties *arthritici* quodam casu perterriti,

territi, ut incendio, lapsu, &c. subito expediuntur? Quam plurimi casus hujusmodi *podagram* sanitate mutasse cognoscuntur, qui omnes non nisi terrorem incutiendo juverunt; quantumcunque vero adjuverit terror hisce casibus illatus, nemo inter prudentes medicos ex consilio remedium adeo anceps experiatur, " ne occidisse, nisi servasset, videatur."

IRA.

Irato arteriæ valide et celerrime micant; et vasa capitis maxime turgent et incitantur; quædam etiam e secernendis plenius effunduntur. Vultus rubet, oculi fere inflammari videntur, et quasi nitent, et lachrymis aliquantum

quantum humectantur. Venæ cervicis intumescunt; nimirum, quia spiritus gravis efficit ut sanguis ægre per pulmones transeat, eoque non facile a capite redeat. Illud vero iræ proprium est, quod fel solito uberius secerni facit.

Hic animi motus nunquam non corpori nocet: ne unquam quidem, ut scio, profuit. Omnibus igitur, bona aut mala valetudine usis, vitanda est ira. Quoniam vero hæc pariter impetum sanguinis ad caput intendit, et ejusdem reditum inde impedit, potissimum iis fugienda est, quibus plenitudo vasorum, caput amplum et cervix brevis *apoplexiam* minitantur. Quicunque *phrenitide, ophthalmia, erysipelate,* &c. implicantur, pari ratione, his ira cane et angue magis vitanda est. Haud raro accessiones *epilepsiæ* reduxit. Quinetiam, omnibus, qui pulmone aut corde laborant, ira nocebit: hinc *asthmate, pertussi,*

palpitatione,

palpitatione, angina pectoris, aneurismate arcus aortæ ægrotantibus, summum periculum minatur.

Nec minus eos iram evitare oportet, qui ad jecinoris mala propensiores existunt. In quocunque morbo, vasa hujus visceris incitatiore motu agitantur, uti in febribus *intermittentibus* et *remittentibus,* terrarum æstuosarum propriis, nihil fere pejus est quam vehementer irasci.

MŒROR.

Hic animi motus jam primo illatus non omnes suos malos effectus ostendit: si enim diutius perstat, alii motus contristantes accedere solent: tum vero tristitia et languor animorum superveniunt.

Initio, motus sanguinis aliquantum celeratur; ad caput paulo vehementius impellitur; oculi enim rubent, et lachrymæ profunduntur. Quod si mœror diutius perstiterit, circuitus sanguinis languescit, spiritus tarde, alte et plene trahitur, et homo luget et suspirat: unde, ni fallor, sanguis ad caput impellitur.

Hic animi affectus evitari debet, præcipue si quis *phrenitide* aut *ophthalmia* laborat. Nocet etiam apud omnes fere morbos classi neuroses subjectos; quales sunt *mania*, *melancholia*, *syncope*, *dyspepsia* et *hypochondriasis*. Si epilepsia antea inducta est, mœror subitus eam facile accendit. Quum in tantum pulmonis et cordis munera perturbat, plane, si fieri potest, effugiendus est iis, qui *asthmate*, *dyspnœa*, *palpitatione* cordis, aut *pertussi*, ægrotant. Sæpe fœminas hysteria convellit, eoque magis, si prius laboraverant; et corpus ad pestilentiam omnigenam propensius reddit.

FASTIDIUM

FASTIDIUM AUT HORROR.

Hæc animi perturbatio præcipue ventriculum male habet, et vomitum ciet. Alii aliis multo facilius eam experiuntur. At multo sæpius, pessimos eventus, imo ipsum fatum, moliri comperitur.

Statuere licet igitur omnia esse fugienda, quæ aliqua ratione mentem perturbare possunt, ne corpori inde noceatur, præcipueque si jam antea id aliquo morbo laboraverit, aut ad eundem propensum fuerit; cui legi ea pauca exempla quæ supra protulimus sola aversantur. Si igitur oporteat aliquid patefacere, quo cognito, mens vehementer agitetur

tetur gaudio, amore, timore aut ira, &c. hoc caute et prudenter faciendum.

Ex iis, quæ supra de animi motibus disserui, constat perpaucos multum proficere, fere omnes gravi periculo non vacare; spem et fiduciam fere utilissimas esse futuras; cæteros fere plurimum mali, nihil fere boni, accensos moliri.

FINIS.